

animarum intuitu, ad revelandas turpitudines sacerdotum corruptorum adducuntur. Aliundè, si valeret ratio hic nobis objecta, sequeretur insipientes fuisse tot pontifices, qui denuntiationem fieri jusserunt.

Confessarius igitur, munere suo rectè fungens, satagere debet ut in luctuosis hisce casibus, denuntiationem prudenti modo faciendam procuret, absolutionem suspendendo vel etiam negando. Si tamen occurrat pœnitens qui nullâ ratione persuaderi possit se ad revelationem teneri, arbitramur illum finaliter absolvendum esse, quandò prudenter judicatur eum esse in bonâ fide: si tunc enim pœnitens non absolveretur, sacramentis privaretur, nec ideò perversi corruptoris manifestatio obtineretur. Tutius est igitur ut confessarius non dicat pœnitenti, eum ad denuntiationem fortiter impellendo, quòd ad eam teneatur sub peccato mortali.

Eâdem obligatione manifestandi sacerdotem corruptum tenentur mulieres et juvenes ad turpia sollicitati, etii omnes qui notitiam hujusmodi infamiarum aliâ viâ quàm per confessionem obtinuerunt.

Similiter sanè, et propter easdem rationes, denuntiandus est sacerdos aliusve clericus qui, per delicta superioribus ignota, hono religionis vel animarum saluti grave nocumentum affert vel allaturus esset.

---

### CAPUT TERTIUM.

#### DE SPECIEBUS LUXURIE CONSUMMATÆ CONTRA NATURAM.

Luxuria consummata contra naturam est seminis effusio, modo ad generationem non apto, sive extra concubitum, sive in concubitu. Tres illius sunt species, scilicet mollities seu pollutio, sodomia et bestialitas.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### *De pollutione.*

Pollutio, quæ etiam dicitur mollities vel incontinentia secreta, est seminis humani ejectio extra omnem concubitum.

Pollutio dividitur 1° in simplicem et qualificatam; 2° in voluntariam et involuntariam; 3° in voluntariam in se et voluntariam in causâ.

Pollutio simplex ea est quæ aliam malitiam non habet adjunctam, ut si quis, nullo personali vinculo ligatus, in propriâ delectatione suâ sistens, se polluat.

Pollutio verò dicitur qualificata quandò; præter suam malitiam, aliam habet adjunctam, vel ex parte objecti cogitati, vel ex parte polluti, vel ex parte polluentis. 1° Ex parte objecti cogitati, malitiam adulterii, incestus, stupri, sacrilegii, bestialitatis vel sodomie induit, prout se polluens cogitat de conjugatâ, consan-

guineâ, etc. 2° Ex parte polluti, si nempè sit conjugatus, Deo per votum aut per ordinis sacri susceptionem consecratus. 3° Ex parte polluentis, videlicet si, v. g., quis religiosus vel sacerdos alterum polluat. Omnes illæ circumstantiæ necessariò aperiendæ sunt in confessione, quia speciem peccati mutant.

Pollutio voluntaria ea est quam quis directè intendit, vel cujus causam voluntariè ponit. Est autem involuntaria, si absque voluntatis cooperatione, sive in vigiliâ, sive intra somnum accidat.

Cùm pollutio omninò involuntaria peccatum esse non possit, de eâ hic non disseremus tanquàm de peccato. Igitur nobis dicendum est: 1° de pollutione voluntariâ in se; 2° de pollutione voluntariâ in causâ; 3° de pollutione nocturnâ; 4° de motibus inordinatis; et 5° de agendi ratione confessarii erga eos qui consuetudinem habent in pollutiones incidendi.

§ I. — De pollutione voluntariâ in se.

Plures probabilistæ negarunt pollutionem jure naturali esse prohibitam, dicentes cum *Caramuel*, antesignano suo, ejectionem seminis comparandam esse profusioni sanguinis, lactis, urinæ et sudoris, ac proindè, seclusâ lege Dei positivâ id vetante, eam provocare licitum, imò et necessarium fore, quoties natura postulet. Contra quos sit, cum omnibus theologis.

PROPOSITIO.

*Pollutio in se spectata gravissimum est peccatum contra naturam.*

Probatur Scripturâ Sacrà, auctoritate Innocenti XI, consensu theologorum et ratione.

1° Scripturâ Sacrà: I. ad Corint., 6, 9: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores.... regnum Dei possidebunt.* Ad Gal. 5, 19: *Manifesta sunt operu carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Omnes fatentur per molles eos intelligendos esse, qui voluntariè se polluunt, vel ab aliis pollui patiuntur: hæc infamia inter immunditias et impudicitias certò collocanda est; porrò Apostolus declarans hæc peccata à regno cœlorum excludere, ea non repræsentat ut juris positivi transgressiones, sed evidenter ut naturam deturpantia; ergo, etc.

2° Auctoritate Innocenti XI, qui sequentem Caramuelis propositionem damnavit, die 2 martii 1679: *Mollities jure naturæ prohibita non est; undè si Deus illam non interdixisset, sæpè esset bona et aliquando obligatoria.*

3° Consensu theologorum, qui unanimi ore docent, si nonnulli probabilistæ excipiantur, pollutionem esse peccatum contra naturam.

4° Ratione: naturalis quippè seminis humani et totius rei veneræ destinatio est certè, in

mente Creatoris, procreandi prolem et ad perpetuitatem speciei concurrenti : aliundè si vel semel se polluere liceret, nulla esset ratio cur ulteriùs progredi malum foret : atqui tamen id admitti non potest. Insuper delectatio pollutioni voluntariæ annexa, periculo habitum contrahendi exponit : hujusmodi autem habitus graviter est culpandus propter ingentia quæ natus est inducere mala, ut ex dicendis patebit; ergo pollutio extra concubitum naturalem est evidenter contra naturam; quod ipsi pagani agnoverunt, ut patet sequentibus Martialis versibus, *Epig. 42* :

Ipsam, crede, tibi naturam dicere verum :  
Istud quod digitis, Pontice, perdis homo est.

Hinc concludendum est nunquam licere pollutionem directè excitare, nequidem sanitatis aut vitæ conservandæ causâ, sicut propter hos fines fornicari non liceret : nec valet comparatio sanguinis, lactis, urinæ et sudoris, à Caramuele adducta, quia destinatio hujus generis humorum à destinatione humani seminis est prorsus diversa. Nec juvat dicere quòd sanguinem è venis elicere, vel membrum et etiam vasa spermatica amputare quandoquè liceat; nam sanguis et quæcumque membra sunt partes corporis et bono individui subordinantur; ergo ad illud conservandum resecari possunt : semen, è contrâ, non pro bono individui fuit institutum, sed pro conservatione speciei. Præterea, nullum est periculum habitum contrahendi, in eliciendo sanguine aut in amputando membro; non item de pollutione; ergo, etc.

§ II. — De pollutione voluntariâ in causâ.

Duplex distingui solet pollutionis causa, una proxima et altera remota. Causa proxima ea est, quæ per se ad pollutionem tendit, ut partes genitales proprias vel alienas contrectare, eas conspicerè, verba obscena et amatoria proferre, cogitationes valdè turpes in mente volvere, etc.

Causa remota ea est, quæ minùs directè in pollutionem influit, ut potus vel cibus immoderatus, studium rerum venerearum, auditio confessionum, etc.

Illæ causæ possunt esse licitæ, venialiter malæ, aut mortaliter malæ : itèm possunt influere in pollutionem proximè vel remotè.

Certum est 1° eum qui voluntariè, vel per unum instans, delectationi pollutionis acquiescit, etiam præter intentionem et quæcumque ex causâ accidentis, mortaliter peccare; id nemo inficiabitur. Certum est 2° illum qui ponit causam mortaliter malam in pollutionem proximè influentem, v. g., propria vel alterius verenda libidinosè tangendo aut aspiciendo, ipsam pollutionem indè contingentem censi velle, etiamsi illam excitare non intendat : hoc patet.

Nunc examinandum est an pollutio proveniens ex causâ licitâ, aut venialiter malâ, sit peccatum et quale peccatum.

1° Ponere, absque necessitate aut utilitate, actionem per se licitam, ex quâ pollutio prævidetur secutura, est peccatum mortale, quia

tunc fit cooperatio efficax ad effectum mortaliter malum, et nulla est ratio excusans.

2° Qui propter solam sui vel aliorum utilitatem ponit actionem per se licitam, sed, habitâ ratione dispositionum ipsius, in pollutionem proximè influentem, mortaliter peccat, si proximo periculo consentiendi se exponat; nam tali periculo se exponere, peccatum est mortale, juxta omnes, nisi gravis necessitas excuset.

3° Si verò gravis necessitas urgeat, et solus bonus effectus intendatur, nullum est peccatum: licet quippè, ob gravem causam, ponere actum ex quo duo secuturi sunt effectus, unus bonus et alter malus, bonum intendendo et malum permittendo eique non consentiendo. Undè chirurgus qui ad curandam infirmitatem aut procurandum partum, pudenda mulieris aspicit aut tangit, et pollutionem hâc occasione experitur, non peccat, modò ei non consentiat, etiamsi proximo periculo consentiendi se exponat. Verùm arti suæ valedicere tenetur, si hujusmodi periculum frequenter incurrat, quia necessitas propriæ salutis omnibus aliis commodis præstat.

4° Qui propter suam aliorumve utilitatem ponit actionem ex quâ prævidet secuturam esse pollutionem, sine periculo proximo consentiendi, non peccat, quia sufficientem habet rationem permittendi malum effectum, quem non intendit, nec approbat, ut supponitur. Sic S. Thomas, *et generaliter theologi*.

Hinc licet rebus venereis studere, ob finem

honestum, confessiones mulierum excipere, cum eis utiliter et honestè conversari, eas visitare vel juxta morem patrium decenter amplecti, equo insidere, potu calido ad sanitatem præscripto moderatè uti; servire infirmis, eos in balnea mittere, artem chirurgicam exercere, etc., quamvis prævideatur pollutionem inde secuturam, dummodò non intendatur, et firmum existat propositum ei non consentiendi, cum spe fundatâ in proposito perseverandi.

Si verò nulla aut levior utilitas actiones in pollutionem sic influentes suaderet, ab eis sub peccato veniali aut mortali abstinendum esset, prout leviter aut graviter in pollutionem influerent, v. g., si usus *caffei*, aquæ vitæ, vini puri, etc., sanitati non inserviens, ut communiùs, pollutionem in te excitet, ab illo abstinere teneris, sub veniali, si influxus sit tantum probabilis, et sub mortali, si, ob aliquas causas tibi personales, influxus sit proximus, et effectus quasi moraliter certus.

5° Ponere causam venialiter malam, quæ in pollutionem proximè influit, est peccatum mortale: id sequitur ex immediatè dictis. Undè si quis, ratione imbecillitatis suæ pollutionem experiri soleat mulierem in partes honestas morosè aspiciendo, manum ejus tangendo, digitos torquendo, cum eâ fabulando, eam sine causâ decenter amplexando, choreis assistendo, etc., ab his actibus sub peccato mortali abstinere tenetur.

6° At si peccata venialia in genere luxuriæ et

à fortiori in alio genere, remotè tantùm influant in pollutionem, ut, v. g., si in actibus modò descriptis pollutio rarò accidat, non nisi venialiter læditur castitas : si enim mortaliter violaretur, vel in ipsâ pollutione, vel in causâ ejus : atqui neutrum dici potest : non prius, cùm supponatur nullum adesse consensum actua-lem; non posterius, siquidem causa est levis et leviter tantùm influit in actum, ex hypothesi; ergo, etc. Ità, post S. Thomam, *communissime theologi contra paucos.*

7<sup>o</sup> Peccatum mortale à luxuriâ diversum, v. g., ira, ebrietas, in pollutionem remotè influens, non nisi venialiter imputatur sub respectu luxuriæ; solâ quippè ratione influxûs potest imputari; influxus autem supponitur levis; ergo, etc. Sic S. Ligorius, l. 3, n<sup>o</sup> 484, et multi apud ipsum.

Contrarium evidenter dicendum foret, si peccatum istud, ex adjunctis, v. g., ex frequentia eventuum, in pollutionem proximè influere judicaretur.

§ III. — De pollutione nocturnâ.

Nocturna pollutio ea solùm intelligitur quæ accidit inter somnum. Si somnus sit imperfectus, pollutio semivoluntaria esse potest, ac consequenter peccatum veniale. Si autem somnus sit perfectus, nullâ ratione voluntaria est pollutio, nec proindè peccatum. Tunc igitur mala esse non potest nisi in causâ suâ.

Certum est eum qui causam eâ intentione

ponit ut pollutio inter somnum accidat, v. g., certo situ cubando, se cooperiendo, se tangendo, etc., mortaliter peccare.

Hoc casu excepto, ponderandum est quæ sit causa pollutionis nocturnæ et quâ ratione in eam influat.

Triplex à S. Thomâ, 2, 2, q. 154, art. 5, et ab aliis theologis distinguitur, una corporalis, altera spiritualis intrinseca, et tertia spiritualis extrinseca.

1<sup>o</sup> Corporalis : per hanc causam intelliguntur : 1<sup>o</sup> superfluitas materiæ seminalis, quâ natura, nimis gravata, per effusionem naturaliter exoneratur; 2<sup>o</sup> phantasmata imaginationis ex ipsâmet superfluitate materiæ seminalis, vel ex aliâ dispositione corporis provenientia; 3<sup>o</sup> intemperantia in potu vel in cibo aut eorum qualitas nimis calida; 4<sup>o</sup> resolutio seminis aliquâ causâ, v. g., equitatione, rerum turpium aspectu aut cogitatu tempore vigiliæ præparata; 5<sup>o</sup> quædam humorum acritas, nimius calor sanguinis, nervorum irritabilitas, tactus inter somniandum, lecti mollities, etc.; 6<sup>o</sup> organorum debilitas quæ vel ex defectu constitutionis, vel ex infirmitate, vel ex consuetudine se polluendi antea contracta, oriri potest : hinc sæpè contingit fluxum adeò frequentem esse ut sanitati graviter noceat.

2<sup>o</sup> Causa spiritualis intrinseca, quam S. Thomas vocat animalem, quia in animâ existit, est cogitatio de re turpi ante somnum, sub quo nomine comprehenduntur desideria, delectatio morosa, colloquia mala, frequentatio mulie-

rum, assistentia spectaculis et saltationibus, lectio librorum obscenorum, etc.

3<sup>o</sup> Causa spiritualis extrinseca, est operatio dæmonis, qui, juxta S Thomam et omnes alios doctores, phantasiæ illudendo et spiritus genitales commovendo, pollutionem excitat.

Ultimæ pollutiones istæ, cum à causâ voluntati extrinseca procedant, si actualis desit consensus, nullatenus imputari possunt ad peccatum.

Similiter pollutiones ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum, ex dispositione nervorum, imò ex habitu sufficienter revocato, in somno contingentes, peccata non sunt, siquidem à voluntate liberâ non oriuntur, nec ullus eis præbetur assensus, ut supponitur.

In aliis verò pollutionibus pensandum est quæ sit earum causa, an licita, an venialiter aut mortaliter mala, an proximè vel remotè in eas influat: exindè prudenter judicabitur an et quale sit peccatum. Si res etiam licita in pollutionem proximè influat, utilitas non sufficit, sed requiritur necessitas ut actio excusetur. Ubi verò influxus est remotus, rationabilis causa sufficit.

*Quæritur* 1<sup>o</sup> ad quid teneatur homo qui evigilans advertit se pollutionem experiri.

R. Debet mentem ad Deum elevare, eum invocare, signo crucis se munire, nihil ad expellendum semen positivè facere, delectationi voluptatis renuntiare, et modò hæc faciat, securus esse potest, nec tenetur naturæ impetum continere; tunc enim secretio humorum jam

facta est in vasis spermaticis; necesse est ergo ut fluxus hic et nunc vel postea locum habeat, alioquin semen è renibus excisum corrumpetur, et in sanitatis detrimentum vergeret.

*Quæritur* 2<sup>o</sup> an liceat gaudere de pollutione inculpabiliter contingenti, quatenus naturam exonerat, aut eam sub hoc respectu desiderare.

R. Communissimè docent auctores licitum esse de bono effectu pollutionis involuntariæ, sive in somno, sive in vigiliâ contingentis, gaudere, quia ille effectus sic spectatus bonus est.

Communiùs adhuc et probabiliùs tenent licere de tali effectu ex pollutione secuturo gaudere, propter eandem rationem.

At licetne in pollutione, præter voluntatem secutâ vel secuturâ et velut exoneratione naturæ spectatâ, sibi complacere? Multi affirmant, dicentes eam ut talem nullâ lege prohiberi: ita S. Thomas, in 4, *Sent.*, dist. 9, q. 1., art. 1, qui ait: *Si placeat (pollutio) ut naturæ exoneratio aut alleviatio, non creditur peccatum.* Adverte quòd non dicat, si placeat effectus pollutionis, sed si placeat ipsa pollutio. Hæc sententia probabilior nobis videtur in speculatione; at multum periculosa est in praxi, nec igitur toleranda.

*Quæritur* 3<sup>o</sup> Quid sentiendum sit de distillatione?

R. Distillatio est fluxus seminis imperfecti vel alterius humoris mucosi, quasi guttatim et sine gravibus concupiscentiæ motibus. Si absque delectatione venerè locum habeat, ut

quandoquē ex debilitate organorum vel ex con-  
fricatione in intolerabili pruritu accidit, de eā  
non magis laborandum est quā de sudore,  
inquiunt Cajetanus et communiū theologī.  
Ubi verò fit voluntariē in magnā quantitate,  
vel cum notabili spirituum genitalium commo-  
tione, est peccatum mortale, propter proxi-  
mum pollutionis periculum. Itā ipse *Sanchez*,  
*S. Ligorius*, etc.

Si verò in modicā quantitate, absque delec-  
tatione et notabili spirituum commotione fiat,  
vel nullum est peccatum, si nempe rationabilis  
sit utilitas causam ejus ponendi, vel, ad sum-  
mum, est peccatum veniale. Hoc sequitur ex  
dictis de pollutione indirectē volitā.

*Quæritur* 4<sup>o</sup> an liceat, ope medicamentorum  
à medicis præscriptorum, dissolvere et expel-  
lere semen morbificum, cum periculo veræ  
pollutionis? (1)

R. Communiū affirmant doctores modò  
sola intendatur sanitas, et pollutio directē non  
excitetur, nec desideretur, nec ei, præter  
intentionem accidenti, assentiatur, et semen  
certo sit corruptum. Sic *Sanchez*, *Layman*,  
*Billuart*, *S. Ligorius*, etc., contra *P. Concina*,  
*Bonacina*, *La Croix*, *de Lugo* et plures alios.

§ IV. — De motibus inordinatis.

Illi motus sunt quædam partium genitalium  
commotiones pollutionem plus minusvè præ-

(1) Nunc medici testantur semen non corrumpi, sed tantum  
non elaborari ac vanam esse hypothesim à theologis admissam  
seminis corrupti et morbifici (*Vernier*, t. 1<sup>er</sup>, p. 431 et *P.*  
*Debreyne*, *Mæchiologie*, p. 49).

parantes. Possunt esse graves vel leves: graves,  
proximum pollutionis periculum inducere nati  
sunt; non itā leves.

Voluntaria complacentia in hujusmodi moti-  
bus, etiam indeliberatē natis et levibus, est  
peccatum mortale: tunc quippè adest venerea  
delectatio quæ probabilius levitatem materiæ  
non patitur, et grave incurritur periculum  
ulterius progrediendi.

*A fortiori* libere eos excitare, peccatum esset  
mortale.

Si à voluntatē non pendant, nec in se, nec in  
causā, ut sæpè contingit, et nullus consensus  
eis præbeatur, ab omni peccato sunt immunes.

Ubi verò causa eorum liberè ponitur, de  
illis sicut de pollutione indirectē volitā judican-  
dum est, cum eā tamen differentiā, quòd pol-  
lutio semper sit objectum grave, dum motus  
adeò leves et à pollutionis periculo remoti esse  
possint, ut levia judicari debeant peccata, et  
sæpè de earum causā, modò sit honesta, parum  
curandum sit.

Sed præcipuè hic petitur quid agere oporteat  
quandò hujusmodi motus inculpabiliter  
nascuntur.

Certum est voluntatem eis assentire non  
posse, quin mortaliter peccet, ut diximus.  
Sæpè tamen non expedit positivo conatu eisdem  
obsistere: tunc quippè phantasia ipsamet con-  
tentione excandescit, et, per sympathiam, spi-  
ritus genitales magis excitat: tutius est igitur  
Deum placidè invocare, B. Virginem, angelum  
custodem, patronum aliosque sanctos precari,

ab objectis periculosus fugere, mentem ab imaginibus obscenis tranquillè avocare, aliò convertere, et seriâ applicatione diversis et præsertim externis negotiis vacare.

Quæritur an manere indifferentem circa motus concupiscentiæ involuntariè natos, eos neque approbando, neque improbando, sit peccatum et quale peccatum.

R. 1° Omnes fatentur talem indifferentiam esse ad minùs peccatum veniale, quia mens inordinatis concupiscentiæ motibus saltem repugnare tenetur.

2° Sanchez, S. Ligorius, l. 5, n. 6, et multi alii dicunt peccatum istud, secluso proximo pollutionis periculo, esse duntaxat veniale: nam, inquit, ideò repellendi sunt motus inordinati, quia timendum est ne ad pollutionem deducant, vel consensum voluntatis in delectationem veneream trahant: ergo si absit vel remotum sit periculum, levis est obligatio illud devitandi. Tenent verò dari obligationem sub peccato mortali positivè resistendi saltem per actum displicentiæ, si proximum existat periculum vel in pollutionem incidendi, vel in delectationem veneream consentiendi.

Alii communiùs docent indifferentiam cum plenâ advertentiâ circa motus inordinatos, etiam leves, esse peccatum mortale, tum ob propriam eorum inordinationem, tum ob periculum eis assentiendi. Ità Valentia, Lessius, Vasquez, Concina, Billuart, quoad praxim, Habert, Collet, P. Antoine, Dens, etc.

Ab eâ sententiâ periculosè recederetur in

praxi, quamvis altera speculativè sumpta probabilitate non careat: requiritur ergo ut positiva displicentia saltem virtualis semper existat in mente circa motus inordinatos, præter voluntatem excitatos. Hæc autem displicentia sufficienter habetur quando voluntas, delectationi venereæ ex firmâ determinatione opposita, motus concupiscentiæ contemnit et aliorsùm se convertit.

Hæc aliundè pro se dicta non arbitrentur nonnulli scrupulosi, ad torquendam propriam conscientiam nimis ingeniosi, qui, dum anxii sunt an consenserint nec ne, stimulos carnis vehementiores et quasi perpetuos efficiunt: firmum habeant propositum semper castè vivendi, et tunc motus inordinatos contemnant, eos minimè curantes in consuetâ agendi ratione, in examine conscientiæ et in confessione; experientiâ enim constat hanc tutiorem et breviorè esse viam eorum cessationem obtinendi.

§ V. — De agendi ratione confessarii erga eos qui polluuntur.

Nullum est vitium tam noxium sub omni respectu juvenibus, et præsertim masculis, quam habitus se polluendi: etenim pravâ hâc consuetudine deprehensi, obdurantur, hebetantur, virtutes fastidiunt, religionem contemnant; eorum indoles fit tristis, fortitudinis incapax, nullius propositi tenax; vires corporis deficient, graves nascuntur infirmitates, advenit caducitas præmatura, et sæpè mors ignominiosa.

Formidandos *masturbationis* effectus sic describit Hippocrates, apud Buchan, t. 4, p. 567, in linguam nostram conversus.

*Cette maladie naît de la moelle épinière : elle attaque les jeunes mariés et les libidineux ; ils n'ont point de fièvre, et quoiqu'ils mangent bien, ils maigrissent et se consument ; ils croient sentir des fourmis qui descendent de la tête le long de l'épine. Toutes les fois qu'ils vont à la selle, ou qu'ils urinent, ils perdent en abondance une liqueur séminale très-liquide : ils sont inhabiles à la génération : ils sont souvent occupés de l'acte vénérien dans leurs songes : les promenades, surtout dans les routes pénibles, les échauffent, les affaiblissent, leur procurent des pesanteurs de tête et des bruits dans les oreilles ; enfin une fièvre aigüe termine leurs jours.*

Sic etiam Aretes, medicus græcus, tempore Trajani existens, l. 2, c. 1.

*Les jeunes gens (adonnés à ce vice) prennent les maladies et les infirmités des vieillards ; ils deviennent pâles, efféminés, engourdis, lâches, paresseux, stupides et même imbéciles ; leur corps se courbe ; leurs jambes ne peuvent plus les porter ; ils ont un dégoût général ; ils sont inhabiles à tout, et plusieurs tombent dans la paralysie.*

Præcipua hæc principia ab antiquis medicis tradita, à recentioribus unanimiter admittuntur, et innumeris factis, è quibus nonnulla tantùm referemus, confirmantur.

Hoffman, celeberrimus professor medicinæ apud

Germanos, in universitate Hallensi, in tractatu inscripto : *Des maladies occasionnées par l'abus des plaisirs de l'amour*, refert :

*Qu'un jeune homme de dix-huit ans, qui s'était abandonné à une servante, tomba tout à coup en faiblesse, avec un tremblement général de tous les membres : il avait le visage rouge et le pouls très-faible. On le tira de cet état au bout d'une heure ; mais il resta dans une langueur générale.*

Tissot, de l'Onanisme, p. 33, statum juvenis ad quem vocatus est, sic describit :

*Je fus effrayé moi-même la première fois que je vis cet infortuné. Je sentis alors, plus que je n'avais fait encore, la nécessité de montrer aux jeunes gens toutes les horreurs du précipice dans lequel ils se jettent volontairement.*

L. D\*\*\*, horloger, avait été sage et avait joui d'une bonne santé jusqu'à l'âge de dix-sept ans. A cette époque il se livra à la masturbation, qu'il réitérait jusqu'à trois fois ; et l'éjaculation était toujours précédée et accompagnée d'une légère perte de connaissance et d'un mouvement convulsif dans les muscles extenseurs de la tête, qui la tiraient fortement en arrière, pendant que son cou se gonflait extraordinairement.

Il ne s'était pas écoulé un an qu'il commença à sentir une grande faiblesse après chaque acte : son âme, déjà toute livrée à ces ordures, n'était plus capable d'autres idées, et les réitérations de son crime devinrent tous les jours plus fréquentes, jusqu'à ce qu'il se trouvât dans un état qui fit craindre la mort.